

bitari non possit, tum quia apertissimis verbis de ejus existentia docemur ab Archiepiscopo Strigonien., cujus simplici assertioni ob cardinalitiae dignitatis, qua is prae-fulget, eminentiam esse credendum, probat textus in can.: *nobilissimus* dist. 97 et notat ibidem glossa verb.: *nihilominus*; tum quia contra eam, quam ignorasse non praesumitur, nihil opponit Episcopus Quinque Ecclesien. sive in primaeva sua protestatione in actu Synodi provincialis exhibita sive in novis deductionibus, ad quas, SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. jubente, per Eminum Archiep. Strigonien. is invitatus fuit, dubitandum pariter non esse videtur, ex eadem una consuetudine Episcopo antedicto sedendi ac subscribendi locum in provinciali Synodo Strigonien. juxta tempus acquisitae ab eo residentialis sedis in eadem provincia rite assignatum fuisse atque in posterum esse assignandum.

Haec quidem sunt, Emmi et Rmni Patres, quae ex commissio mihi munere pro viribus exponenda putavi. Omnia vobis humiliter libenterque subicio, ut qua soletis justitia et sapientia iudicium feratis.

S. R. C. resp.: *Praecedentiam Episcopo Quinque Ecclesien. competere juxta tempus adeptae sedis episcopalis Quinque Ecclesien.*

Die 26. Martii 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 903.)

29) Gubernatoris regis.

Hieracen.

Vicarius apostolicus Hieracen. supplicavit a S. Rituum Congregatione declarari: An gubernatori regio, suspensa jurisdictione dictae civitatis, etiam cum officio seu titulo, ut dicitur, de capitano a guerra, dum assistit

missae divinisque officiis in Cathedrali et aliis ecclesiis, etiam regularium, una cum syndicis dictae civitatis, competat sella cum suppedaneo strato et pulvinari, prout dicti Syndici dixerunt ad illum spectare et pro appositione dictorum suppedanei etc. coram eodem Vicario apostolico insteterunt, et quomodo dictus Vicarius se gerere debeat in permittendo vel denegando? Et eadem s. Congregatio respondit: Non licere; et ita declaravit.

Die 2. Octobris 1683.

(Anal. J. P. 1865 p. 1255 n. 2239.)

Vd.: *Gubernator; Praeses.*

Sedes Gubernatoris Civitatis, quando audit concionem simul cum Episcopo, debet esse apud Episcopum, quae non sit major nec pulchrior sede ipsius Episcopi et neutra sit coloris rubri. S. Congreg. Rit. in Perusina 3. Oct. 1615.

30) Hebdomadarii.

Vd.: *Hebdomadar. (in choro; paratus.); Sedes Dignit. et Canon.*

Hebdomadarius quando est paratus debet sedere in primo loco; quando vero non est paratus debet sedere in proprio stallo. S. Congr. Rit. in Perusina 20. Decembris 1660. Si vero est consuetudo, ut, quando non est paratus, praecedat aliis Canonicis aut Dignitatibus, servanda est. Ead. S. Congr. in Adrien. die 20. Decembr. 1601. apud *Barbosa* in Summ. apostolic. decis. verb.: *Hebdomadarius* n. 3.

Hebdomadarius Officium faciens primum locum habere debet super omnes Canonicos et Dignitates, si ipse est Canonicus vel Dignitas, si vero est Clericus, debet accedere in medio chori. S. C. R. in Brundusina 17. Junii 1616 apud *Barbosa* loc. cit. n. 4.

Hebdomadarius etiam non paratus, quando est facturus officium, debet

sedere in primo loco supra omnes Canonicos et Dignitates. Caeremon. lib. 2. cap. 6. n. 4. ibi: „Canonicus etc. facturus officium etc. ascendit chorum in primo stallo seu sede ex ea parte, ubi ea hebdomada chorus assignatur.“ Et resolvit S. C. R. in Romana 21. Novembr. 1626 et in Retin. 24. Jan. 1688 et ita judicavit Congregatio particularis Eminentis. Cardinal. Mariscotti, Colloredi et Negroni, inter Capitulum s. Mariae in Cosmedin et Abbatem Piazza ejus Archipresbyterum; et per sententiam 4. Septbr. 1705 demandatum fuit: „Canonicum Hebdomadarium, facientem Officium, etiam non paratum, debere in omnibus praecedere Archipresbytero, servata forma super modo sedendi in choro in omnibus et per omnia, prout disponitur in Caeremonial. Episcop. lib. 2. cap. 6. n. 4.“

De Canonico Hebdomadario parato quaeritur: *Utrum is sedere debeat in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato, an in primo stallo, ab ea parte chori, in qua hebdomada obtingit?* Dubium inde nascitur, quod Caeremoniale Episcoporum. lib. 2. cap. 3. §. 4. non absolute jubet, ut Canonicus hebdomadarius paratus sedeat in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit hebdomada, sed alternative, ut sedeat vel in dicto scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato vel in primo stallo ab ea chori parte, in qua hebdomada obtingit.

Distingui autem debent Missae a Vesperis. Porro si de Missis agatur chorusque sit retro Altare, Canonicus hebdomadarius paratus non in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit hebdomada, sed in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato sedere debet, ne alias toties accedere et redire de loco ad locum teneatur. Et de his sane functionibus intelligi debet Caeremoniale Episcoporum, dum

Canonico hebdomadario parato potestatem facit sedendi in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato. Concordatque rubrica Missalis romani tit. 17 de Ordin. sedend. in Miss. solemn. n. 6.

At si res sit de Vesperis pariterque sit chorus retro altare, Canonicus hebdomadarius paratus, qui semper in choro assidere debet excepto modico illo spatio, in quo, dum cantatur psalmus *Magnificat*, incensatur altare, non in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato, sed in primo stallo ab ea parte chori, in qua hebdomada obtingit, sedere debet, ut ita semper assistat, prout tenetur, in choro. Et de hisce aliis functionibus intelligendum est Caeremoniale Episcoporum, ubi ait: Canonicum hebdomadarium paratum sedere posse in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit hebdomada; ita tradunt *Bauldry* in manual. s. caeremon. p. 2. cap. 11. de Vesper. art. 1. n. 4. et 11., *Merat.* p. 3. tit. 11. fol. *mihi* 364., optime *Card. de Luca* de Miscellan. Eccles. discurs. 38. n. 8. et duob. sequ., tum etiam optime *Castald.* prax. caerem. lib. 2, sect. 1. cap. 3. n. 13. et sequ.

Capuana.

Servandam esse in Metropolitana Capuana dispositionem libri caeremonialis lib. 2. c. 3. n. 4. et c. 6. n. 4., ut Canonicus paratus celebrans vespas seu matutinum sedere debeat in primo stallo, hoc est ab una parte in stallo Decani, ab altera in stallo Archidiaconi, ita ut sedes Archiepiscopi canonicalis ipso absente remaneat vacua, quando ab ea parte sedere contingit celebrantem, censuit S. Rituum Congregatio.

Die 31. Martii 1618.

(Anal. J. P. 1863 p. 153.)

31) Laicorum.

a) Forma et Situs.

Vd.: *Sedes laicor.* (Modus etc.)

Surrentina.

Archiepiscopus Surrentinus a S. Ritu Congregatione declarari instituit: an functionibus ecclesiasticis, praesertim praesente Episcopo, liceat laicis sedes camerales adhibere, cum in ecclesia missarum solemnibus caeterisque divinis officiis intersunt. Et s. eadem Congregatio hujusmodi nullatenus licere declaravit.

Die 2. Julii 1661.

(Anal. J. P. 1863 p. 374.)

Neapolitana.

Franciscus Capicelatro marchio Luciti S. Ritu Congregationi supplicavit, ut declarare dignaretur, quinam locus et quae ei competant praerogativae, dum idem divinis interest in ecclesiis locorum sibi in temporalibus subjectorum? Et S. Congregatio respondit: oratori competere sedem cameralem a parte sinistra collocandam extra Presbyterium vel scamnum serico obductum super tapete sine gradu suppedaneo et absque baldachino eumque thurificandum esse post celebrantem et capitulum, quatenus adsit, sin minus, post digniorem de clero duplici ductu, eodemque loco pacem ei administrandam fore.

Die 3. Septembris 1661.

(Ibid. p. 378.)

b) Ad Haeredes transeunt.

Jus habendi talia sedilia vel sepulchra in Ecclesia concessum alicui familiae vel descendentes extincta familia transit ad haeredes extraneos, sicut et Juspatronatus gentilitium in tali casu ad extraneos haeredes transiret, nisi taxative concessum fuisset

illis de familia dumtaxat vel solis descendentes; *Ancharan.* consil. 82., *Calderin.* consil. 4. de Jurepatron., *Vivian.* in prax. Jurepatronatus lib. 4. cap. 1. n. 1. et seq., *Antonell.* de loco legali lib. 1. cap. 3. n. 69., *Cardin. Seraphin.* decis. 364. n. 1. et seq. et decis. 378. per tot.

c) Inscriptio et Ornatus.

Sedes possunt a Dominis ornari. S. Congr. Episc. in Andrien. 25. Octobris 1602. Et eis etiam inscriptio vel aliud signum apponi. S. Congr. Episc. 14. Januar 1603.

d) Licentia ponendi in ecclesia.

Vd.: *Sedes laicor.* (mutatio.); p. 713 decr. n. 1418, 256 et 613.

Sedilia seu scamna propria ponere in Ecclesia nemo potest absque facultate rectoris Ecclesiae et invito Episcopo, et si ab aliquibus opponantur, possunt a Rectore et Episcopo removeri, maxime quando sunt causa rumoris et impediunt functiones et celebrantes, ut pluries tenuit S. Congr. Episc. et signanter in Januens. 7. Aprilis 1583, in Camerinen. 12. Jan. 1588, in Sarzanen. 21. Novembr. 1600, in Nullius Castridurantis. 10. Novembr. 1623, in Recanatens. 10. Febr. 1645, in Narniens. Terrae Carpii 8. Maii 1693 et S. Congr. Rit. in Vintomiliens. 10. Dec. 1604, in Fundana 5. Octbr. 1697 et in Verulana 6. Septbr. 1698. Ex tolerantia tamen vel licentia Episcopi seu Rectoris Ecclesiae possunt laici acquirere Jus retinendi sedilia seu sedendi in Ecclesia non quoad dominium vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem; tradunt *Ugolin.* de potest Episc. cap. 17. n. 7., *Pignatell.* tom. 9. consult. 147. n. 12., *Antonell.* de loco legali lib. 1. cap. 3. n. 54., *Monacell.* part. 1. titul. 5. formul. 8. n. 4., *Fusc.* de Visitat. l. 1. cap. 29., *Maron.* tom. respons. 51.

num. 23. ac plene *Odofred.* in responso de hac re edito, quod refert et sequitur *Diana* part. 10. tract. 10. resolut. 64. et *Passerin.* de homin. statu tom. 2. q. 17. art. 5. cap. 6. n. 579. ac declaravit S. Congr. Episcop. 28. Junii 1583 in haec verba: „Non si dee permettere quella proprietate de'loughi, che alcuni si persuadono di avere nelle Chiese, quahiche loro fossero Ereditari, come sono le Case, e le possessioni, che si comprano; et idem resolutum fuit a S. C. C. in Anagnina 5. Septbr. 1665. „Hinc non possunt laici praedicta sedilia seu scamna aut eorum partem sive eorumdem usum, locum aut situm aliis cedere, donare aut quodammodo concedere, nisi Episcopi consensus accedat“.

Consensus Episcopi non requiritur expressus sed sufficit tacitus; *Vivian.* de jurepatronatus lib. 3. c. 2. n. 55; *Antonell.* de loco legali lib. 1. c. 3. n. 56., *Rota* decis. 787. part. 1. divers. Unde non potest Episcopus sicut nec rector ecclesiae laicis auferre hujusmodi jus, si ab initio passus est eos habere seu retinere sedile in aliquo ecclesiae loco; *argum.* *Quod semel* 21. de regul. juris in 6. ibi: „Quod semel placuit, amplius displicere non potest“; *Giovagnon.* discept. forens. c. 110. n. 46. et sequent., *Ciarlin.* contr. forens. cap. 110. n. 16. 18. et 25., *Antonell.* loc. cit. n. 68., S. Congr. Episcop. in Assisien 22. Martii 1604, in Acheruntina 4. Junii 1608, in Tarentina 8. Decbr. 1643. Nisi hic exposceret servitium vel commodum ecclesiae vel laicus praetenderet habere illud jus quoad proprietatem, tunc non censetur acquisitum jus irrevocabile, cum usus sedilium, quem laici habent in ecclesia, proveniat ex benignitate, tolerantia et ex gratia revocabili ejusdem, non autem jure, ex quo valeant ipsa ec-

clesia nolente servitutem seu quasi possessionem manutenibilem acquirere, ut fuit ponderatum a S. Congr. Rit. in Fundana 5. Octobris 1697 et in Verdiana 6. Septembris 1698 et bene distinguit et probat *Passerin.* de statu homin. tom. 2. q. 187. art. 5. c. 6. n. 379; *Giovagnon.* dict. consil. 8. n. 19. et sequ., *Ciarlin.* loc. cit. n. 37. et sequent., *Paris.* consil. 149. n. 25. lib. 4., *Monacell.* part. 1. titul. 5. form. 8. n. 5.

e) Lites de ordinandis sedibus.

Quando lis est inter privatos super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione absque novitate; Sac. Congr. Episcop. in Imol. 6. Martii 1692. Locus autem in ecclesia possessus videntibus et patientibus Rectore, toto Clero et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita praescribitur per memorabilem; *Rota* part. 18. n. 7. Adeoque nemini permittitur in praesudicium hujusmodi juris quaesiti ponere novam sedem ante veterem, *Rota* ibidem n. 9. praes. dict. consil. 149. n. 8. et alii. Sac. Cong. Episc. in Acheruntina 3. Julii 1608, in Tarentina 8. Decembris 1645. Quinimo pro mantentione sedis veteris cum sua antiqua praeeminentia competit possidenti interdictum. *Rota* ibidem n. 10., *Giovagnon.* dict. consil. 8. n. 22. lib. 2., *Gratian* discept. n. 26.; *Ciarlin.* controvers. 119. n. 54., atque etiam alia remedia magis executiva et violenta, ut notat *Bald.* in leg. observ. §.: Antequam in princip. ff. de off. proc., *Menoch.* conf. 51. n. 41., *Gratian.* mox cit. discept. 110. n. 16., *Rota* ibid. n. 11.

f) Modus et Ordo ponendi.

Vd.: *Sedes laicor.* (forma etc.)

Non potest poni nova sedes ante

veterem, etiamsi sedes vetus non amoveatur a suo antiquo situ, sed ea intacta assignetur locus alteri ante illam; et ratio est clara, quia cum tota vis in sola praeeminentia consistat, nihil refert ad salvandum praedictum primi, quod ejus sedes non fuerit amota, quia paria sunt, vel quod fuerit mutata et posita infra aliam, vel quod ea firma manente alia fuerit collocata supra ipsam, juxta communem hominum aestimationem, quia secundus sedendo inter personas ejusdem ordinis, inferior primo in eodem ordine semper reputatur, ad text. in cap.: *Solita*, de majorit. et obedient. Add. ad Greg. decis. 411. sub n. 5. §.: Verum, vers.: Et potissimum, Rota part. 1. recent. decis. 3. n. 2. et 3. et bene ponderavit eadem Rota part. 28. tom. 2. decis. 781. n. 19. et 20. Neque hoc casu praevalet oblatio facta per assignatarium pauperi, quia licet ejus indigentia sit causa sufficiens, ut in ea assignetur laico locus pro sede et sepultura, ut tradit *Adden.* ad Greg. praecit. dec. 145. n. 10, cum tamen ecclesia sit cultrix justitiae, hujusmodi assignationes non permittit cum alterius praedictio, ut declarat Rota ibid. allegata in Calaguritana sepulturae coram Manzanedo inter recent. decis. 561. p. 4. tom. 1. recent. et part. 18. tom. 2. dict. decis. 781. n. 21. et 22. Jus enim sedendi in certo loco ecclesiae alicui quaesitum eidem per supervenientem oblationem alterius tolli non potest: *Bald.* cons. 91. n. 3. in fin. lib. 4. decis. in cap. ult. sub n. 13. de constit. cum aliis apud Cratian. discept. 465. n. 17., Rota coram Bich. dec. 33. et part. 19. tom. 2. recent. decis. 474. n. 20. per supradictam rationem, quod ecclesia tamquam justitiae cultrix jus alicui quaesitum auferre non debet.

Ex consuetudine sedendi in certo loco ratione praeeminentiae interdicta

censetur situatio cujuscumque alterius sedis, ex qua praedictum praeeminentiae primi inferatur; Rota part. 19. tom. 3. recent. decis. 474. n. 11. Dummodo tamen locus primus assignatus in communi hominum aestimatione reputetur aliorum omnium primus, itaut consuetudo inibi sedendi suum operari non possit effectum praeeminentiae, si alteri designetur locus, qui reputari possit honorificentior, juxta *decis.* 865. n. 7. part. 4. *divers. et dict. part.* 19. tom. 2. recent. decis. 474. n. 12. Et dummodo primus assignatarius cum jure sedendi in certo loco acquisiverit etiam jus prohibendi ne alius locus superior alteri assignari possit, prout requiritur in quocumque actu tendente ad impediendum exercitium libertatis, *Rip.* in cap.: *Cum Ecclesia Sutrina* n. 68. et 15. de *caus. posses. et prop.*, *Rolan.* cons. 22. n. 27. in fin.; Rota dict. dec. 474. n. 13. Jus autem sic prohibendi ut acquiratur, requiritur quod ecclesia vel quilibet alius interesse habens acquieverit prohibitioni, juxta tradita per Rotam coram Buratt. decis. 312. n. 9. et dict. decis. 474. n. 15. Ex simplici enim consuetudine sedendi in certo loco non inferitur id jus prohibendi ne alteri in diverso et etiam praestantiori concedatur et in sepultura, ut in proposito dixit Rota decis. 127. n. 5. in fine cor. Dunoz. et dict. decis. 474. n. 16. Neque hoc modo praedictatur habenti certum locum in ecclesia, prout esset si a loco jam quaesito amoveretur; Rota p. 19. tom. 2. recentior dict. decis. 474. n. 17. et 19.

Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, etiamsi amovens esset Administrator ecclesiae; *Posthius* in tract. de manut. observ. 73. n. 62. et observ. 18. n. 25., *Anton.* de loco legali lib. 1. cap. 3. n. 65. Si antiqua forma ecclesiae immutetur in

aliam structuram, sedilia seu scamna laicorum in illa existentia reponi debent eodem ordine, quo reperiabantur ante immutationem fabricae, vel in loco aequo digno; *Card. Petra* tom. 2. comment. in constit. 3. Caelest. III. n. 11., *Ursaya* tom. 7. part. 1. discept. 18. per tot., *Rota* in Pampylon. juris sedendi decis. 117., *Posth.* de manut. et decis. 378. p. 2. recent.

g) Mutatio.

Vd.: *Sedes laicor.* (licentia).

Sedes, scamna et loca in ecclesia saeculari moderari debent arbitrio Episcopi. S. R. C. in Ventimilien. 10. Decembris in respons. ad 3 dub. Episcopus enim est absolutus arbiter illa moderandi et removendi, praesertim quando sunt causa rumoris et impediunt functiones ecclesiasticas, ut saepe saepius resolvit S. Congr. Episcop. apud *Nicol.* in Floscul. verb.: *Eccles.* n. 11. et nuper in Narnien. terrae Carbi 8. Maii 1693; in Fundana 5. Octobris 1697 et in Verulana 6. Septembris 1698 apud Monacell. part. 1. tit. 5. formul. 8. n. 4.

In removendis et alternandis sedibus non debent permitti novitates. S. Congr. episcop. in Cirenina 4. Junii 1602 et in Ferentina 8. Decbr. 1645.

Est removenda sedes adeo altari vicina, ut celebrantem impediatur. S. Congr. Episcop. in Nullius Castri Durantis 10. Novembris 1623.

Regularium Superiores non possunt remove sedes a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad Magistratum. S. Congr. Episcop. et regul. in Assisien. 22. Martii 1603. Debent tamen superiores regularium sollicite attendere ne in suis ecclesiis occasione sedilium et scamnorum rumores et scandala oriantur et in casibus procedere debent juxta occurrentes circumstantias, sicut in similibus

contingentiis procedere debent Episcopi pro ipsis impediendis in suis ecclesiis saecularibus, ut recte advertit *Mattheucc.*: Officialis curae c. 12. n. 28 in fine.

h) Extra Presbyterium.

Vd.: *Presbyterium; Magistratus* (sedes); *Genusflexor.*; *Instructio Clem.* §. XXV. n. 8 etc.

Non competere Comiti, Domino terrae de Isnello juxta chorum in ecclesia majori uti sede in loco superiori et eminentiori cum gradibus ad instar sedis episcopalis. N. 797 die 10. Febr. 1629; n. 1091 die 24. Sept. 1638.

Permitti posse Marchioni Villalvern. et ejus successoribus sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam sed amovibilem et extra Presbyterium. N. 2552 die 13. Junii 1671.

Non licere praesidi montis alti habere sedem in Presbyterio in Ecclesia Ripana. N. 3020 die 20. Mart. 1683.

Sedem pro Commissario (laico) parari debere extra Presbyterium juxta Caeremon. l. I. c. XIII. n. 857 die 20. Apr. 1630.

Non esse permittendam sedem *stabilem* pro Barone. N. 988 die 8. Febr. 1631.

Nulla modo licere Praesidi dare locum intra Presbyterium. N. 988 die 13. Aug. 1633.

Sedes laicorum veluti Praefecti seu locum tenentis non sunt locandae in Presbyterio. Die 10. Junii 1602 ad 6. In *Egiten.*

Scamnum pro Magistratu, quando solemniter assistit Divinis, ponendum esse extra Presbyterium. N. 1165 die 2. Julii 1639; n. 4305 ad 5 die (21. Julii) 12. Septembris 1761.

Non licere laicis in ecclesiis assidere in throno. N. 1291 die 26. Januarii 1641; n. 1336 die 6. Julii 1641.

Non licere Praesidi habere in ecclesia sub sua sede plus quam duos gradus nec eos debere esse majoris altitudinis, quam sunt duo gradus ex tribus, qui subjiciuntur Sedi archiepiscopali. N. 1343 die 17. Sept. 1641.

Non licere D. Gubernatori retinere sedem et genuflexorium intra Presbyterium sine speciali Sedis apostolicae licentia. N. 1714 die 8. Julii 1654; n. 1715 die 18. Julii 1654.

Non licet Marchioni Iliceti in ecclesia Collegiata Bovinen. habere sedem cum gradibus, sed desuper tapete tantum. N. 2024 die 24. Jan. 1660.

Domino loci Ferrantis Cavenago permitti posse sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam sed amovibilem et extra Presbyterium. N. 2092 die 15. Januarii 1661.

Non licere Comiti Jacobo Durino et fratribus ejus sedem cum postergali, stratum et genuflexorium cum tapete et pulvinaribus. N. 2884 die 6. Maii 1679. Idem decr. pro dioecesi Baren. N. 3129 die 22. Febr. 1687.

Sedes pro duce et Barone in dioecesi Nuscana erigi debet in cornu epistolae n. 2299 ad 1 n. 2300.

Ad dub.: an Duci civitatis Ostunen. liceat retinere sedem cameralem cooperatam serico villosa rubeo cum genuflexorio cooperto aliquo panno serico tam in Cathedr. quam in aliis ecclesiis extra tamen Presbyterium sive absente sive praesente Episcopo? S. C. resp.: Nihil de sede fixa. Et idem non licet ejusdem fratribus. N. 3668 ad 1 et 2 die 24. Novembris 1703;

n. 3699 ad 1 die 12. Julii 1704; n. 4204 ad 2 et 3 die 20. Sept. 1749.

Ad idem dub. S. C. resp. sub n. 3698 die 12. Julii 1704: Nihil de sede fixa et dentur decreta, quibus alias declaratum fuit, Domino loci permitti posse sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam sed amovibilem et extra Presbyterium.

Electi civitatis Aversanae et Gubernator Episcopo pontificaliter celebrante in planitie ecclesiae sedere debent, sicut et duo deputati pro aqua Episcopo celebranti administranda. N. 3682 ad 5 et 8 die 26. Apr. 1704. Electos civitatis Avers. et Gubernatorem non posse sedere in sedibus rubri coloris neque in functionibus pontificalibus neque in audiendo conciones aliisque functionibus ecclesiasticis. N. 3711 die 21. Mart. 1705.

Condomimis Terrae Maglianici non licet retinere sedes camerales coromineas fixas extra Presbyterium ecclesiae parochialis, sed loco sedium uti possint scamno unico omnes Combarones. N. 3728 ad 1 et 2 die 4. Julii 1705.

Ad dub.: An in Anniversariis, quae fiunt pro animabus confratrum, praesente Capitulo, possint confratres sedere SS. Sacramenti in banco posito in medio chori a duobus ejus lateribus, attentam praetensa consuetudine, in casu etc. et an in feria V. et VI. majoris hebdomadae possint iidem confratres assistere functionibus sedendo in stallis Canonicorum, Canonicis sedentibus in medio ejusdem chori ab utroque latere et Archiepiscopo sedente in medio pontificaliter induto, attentam praetensa consuetudine in casu etc. et an in die Corporis Christi et octava possint iidem confratres habere sedem seu locum retro altare

majus ejusdem Cathedralis, attentam praetensa consuetudine in casu etc.?

S. eadem R. C., partibus tam in scriptis quam in voce informantibus auditis, respondendum censuit: „Negative et amplius in omnibus“. Et ita declaravit ac servari mandavit. N. 3859 ad 5. 6. 7. Die 23. Septembr. 1713.

Ad dub.: An Magistratus possit tapete vel strato ornare proprium scamnum situm in medio ecclesiae ac serica pulvinaria genuflexorio superimponere? S. C. respondendum esse censuit:

„Magistratui competere sedile ligneum sine suppedaneo, panno cooperatum: lanea item et non serica pulvinaria genuflexorio superposita, ut in una Baren. diei 22. Septembris 1690“.

Atque ita rescripsit ac in omnibus servari mandavit die 27. Aug. 1836. N. 4794 ad 2.

Sedes pro nobilibus atque illustribus viris laicis, Magistratibus ac Principibus, quantumlibet magnis et primariae nobilitatis, plus minusve pro cujusquam dignitate et gradu ornatae, debent extra chorum et Presbyterium collocari, juxta ss. canonum praescriptum laudabilisque antiquae disciplinae documenta, jam inde ab exordiis christ. religionis introductae ac longo tempore observatae.

Caer. Ep. lib I. c. XIII. n. 13.

Laicorum vero loca in ecclesia esse debent distincta a locis Canonicorum et ministrorum in divinis inservientium. S. Congregatio Rituum in Elboren. 8. Jan. 1605. N. 26.

Dum Divina celebrantur, non debent laici inter Canonicos vel alios ecclesiae praebendatos in choro stare vel sedere. S. Congregat. Rituum in Compostellan. 4. Februarii 1600; et quod nec debeant occupare loca seu stalla Dignitatum et Canonicorum et

praebendatum in Presbyterio. S. C. R. in Granaten. 24. Oct. 1609. N. 27. 28.

Mediolanen.

S. Rituum Congregatio, inhaerendo decreto alias emanato ad favorem comitis Ferrantis Cavinago sub die 15. Januarii 1660, censuit in Ecclesia Collegiata Modoetiae posse permitti comiti Jacobo Dunino Mediolanensi sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam, sed amovibilem et extra Presbyterium, eidemque pacem cum instrumento, et quod thurificationem eidem dandam esse per Diaconum. Die 2. Sept. 1679.

(Anal. J. P. 1865 p. 1223 n. 2106.)

Laicis jus in sedibus et scamnis, quae in ecclesiis tenere consueverunt, non adquiri, quominus Episcopo liceat ex causa super his disponere. N. 1418 die 22. Novembris 1642.

Posse Episcopum moderari arbitrio suo scamna et loca laicorum in ecclesia et providere, ne unus solus multa loca occupet, ita ut pro aliis locus non relinquatur. N. 256 ad 3 die 11. Decbr. 1604.

Ad Episcopum spectare sed sine scandalo determinationem locorum et honorum tam in Ecclesia Cathedr. quam in omnibus aliis ecclesiis suae dioecesis, non autem ad quemquam alium saecularem. N. 613 ad 2 die 14. Februarii 1626.

i) Cor. SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXVII. n. 4 etc.; §. XXV. n. 8 etc.; §. XXXII. n. 8 etc.; *Sedes laicor.* (modus ponendi.)

Sedilia non possunt in ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SSimum et alia indecora orientur.

S. Pius V. in constit.: *Cum primum apostolatus officium.*

32) Metropolitan.

Vd.: *Sedes Episcopi* (forma etc.); *Sedes Cleri in Synodo*; *Sedes Episcoporum intersese* etc.

33) Ministrorum in Missa et Vesp.

Vd.: *Sedes Celebrantis et Ministr.*

In Missa sol., quando Celebrans et Ministri sacri sedent, possunt etiam in gradibus Presbyterii sedere Acolythi et etiam Thuriferarius, quando non gerit vicem Caeremoniarum. N. 4395 ad 18 die 18. Decembris 1779.

Ad dub.: An Episcopo Vesperas sol. peragente vel missam pontif. celebrante Canonicus Subd., qui in Vesperis Antiphonas praetintonat et Diaconus et Subd. pariter Canonici, et Missae ministrantes, possint ex consuetudine Tiburtinae Cathedr. sedere in scamno in cornu epistolae cum ligno postergali, necnon serico damasceno rubro cooperto, coronide deaurata a parte superiori apparente et uno gradu a terra? S. C. resp.: Consuetudinem quoad Subdiaconum in Vesp. esse eliminandam; quoad Diaconum et Subd. in Missa tolerari posse. N. 4603 ad 3 die 27. (30.) Martii 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Duplex est casus, diversa igitur decidendi ratio. Primus est de Subdiacono praetintonante Antiphonas in Vesperis Episcopo in crastinum Missam celebraturo: debetne idem sedere in distincto parato scamno et non potius in suo choralis stallo? Omnem dirimit controversiam Caeremonialis dispositio *lib. 2. cap. 1. num. 7.*, ubi loquitur: *Caeremoniarum ducit Subdiaconum vel alium, ad quem spectat de ecclesiae consuetudine intonare Antiphonam in habitu, in quo repetitur, ante Episcopum... et donec per Episcopum non fuerit praetinton-*

natio repetita... Ea autem repetita ad loca sua redeunt: Quid clarius? si tam Caeremoniarum quam Subdiaconus redire debent ad loca sua, palam fit, quod Subdiaconus, qui tunica paratus esse debet, non in scamno, quo in cornu epistolae solent sacri Ministri altaris uti, sedere debet, sed ad suum chorale stallum redire. Et quoniam alii Canonici sacris amicti sunt indumentis, haud decet, ut inferior, qualis est Subdiaconus, habeat distinctum honorificum locum et se deat supra alios ordine digniores pluviali vel casula vel dalmatica indutos.

Diversa est species altera de sacris Ministris inservientibus Episcopo in Missa pontificali, quibus Caeremoniale assignat *scamnum paratum*. Agens namque *lib. 1. cap. 9. num. 1. de officio Diaconi* haec habet: *Sedente postea Episcopo* (post Kyrie eleison) *et ipsi sedent in scamno aliquo parato in cornu epistolae altaris*: omnis quaestio igitur versatur circa intelligentiam et sensum dictionis: *in scamno aliquo parato*: Caeremoniale nec formam praescribit nec ornatum, quae duo accidentalia sunt et varia esse possunt juxta diversas ecclesiarum consuetudines, dummodo certos infra fines coerceantur. Scamni nomen genericum est, et aequè potest intelligi tam de scabello oblongo quam de lignea pariter oblonga sede cum suo postergali; excludit vero sedes camerales. Qui tamen sit Caeremonialis sensus, num velit scamnum cum vel sine postergali, incertum est. Qui morem reprobat Tiburtinae Cathedralis adhibendi *scamnum cum postergali serico damasceno rubro cooperto, coronide deaurata a parte superiori apparente, ab uno gradu a terra elevato*, pro se habere putat S. Congregationis decretum in Turritana 19. Maii 1614 auctoritate *Cl. Catalani*, et declarationem, quae legitur in *Memo-*

riali Rituum majoris hebdomadae. Sed haec, quod obscurum est et in duplici diversa significatione intelligi potest, non elucidant. Quid, quaeso, prodest decretum *in Turritana*? Numquid per idem declaratur, quod in Caeremoniali non est satis expressum? Imo tale decretum quaestionem intactam relinquit, dum simpliciter jubet *servari formam libri caeremonialis*. Nec adhaerendum videtur Catalano, qui ad praefatum Caeremonialis locum pro scamno parato intelligendum vult *scabellum nudum sed tamen pictum et ad lib. 1. cap. 8. n. 23: sedem nudam ibidem positam*. Non enim ulla ratio subest, qua talem esse Caeremonialis sensum admittamus. Ac tandem illud *sedent in scamno seu scabellis in cornu epistolae*, prout habetur in praefato memoriali etc. *lib. 2. cap. 27. de Episcopo celebrante n. 13.*; satis non est, ut inde consequatur, scamnum esse oportere sine postergali. Neque insistendum in disjunctiva *vel scabellis*; nam Caeremoniale apte distinguit *scamnum* pro sacris altaris ministris a *scabellis* parandis pro Diaconis Episcopo assistentibus. Quum igitur res in anticipati sit posita, ideo S. Congregatio noluit positivo responso definire quid per *scamnum paratum* intelligendum sit sed tolerari posse morem Cathedralis Tiburtinae decrevit.

34) In missae priv. celebratione.

Vd.: *Missa* (Celebrans sedere non debet.)

35) Parochi.

Vd.: *Paroch.* (praeced., ult. decr. Pampil.)

36) Praebendariorum.

Placentina.

Translatum anno 1544 fuit Capitulum Collegiatae Ecclesiae s. Joannis Evangelistae ad alteram Ecclesiam s.

Michaelis. Tam Canonici quam praebendarii, inter quos nullum est discrimen circa formam vestis choralis, uno eodemque subselliorum ordine, qui ibi erat, in divinis obeundis officiis uti consueverunt, donec in eodem choro extracti fuerunt duo subselliorum ordines, alter superior pro duodecim Canonicis, alter vero inferior pro octo praebendariis, inde vero haud leves ortae contensiones. Praebendarii enim arbitrabantur sibi licere superiora subsellia occupare, si qua vacua ob Canonice absentiam essent. Hoc autem impugnabatur a Canonicis.

Ad rem transigendam Capitulum duos delegit Canonicos, qui consenserunt, ut praebendariis daretur aditus ad vacua subsellia ordinis superioris juxta pristinum morem. Sed mox Capitulum revocavit mandatum, quod in eos binos Canonicos contulerat et executioni conventionis ab eis initae contradixit.

Episcopus ad tollendum dissidorum fomitem expedire censet, ut S. Congregatio decernat praebendarios ascendere numquam posse ad subsellia superioris ordinis.

Non parum affinitatis cum hac causa habet alia Pisana, de qua actum fuit die 18. Aug. 1731 et 12. Jan. 1732.

Decidendum igitur erit:

An liceat Praebendariis Collegiatae Ecclesiae s. Michaelis sedere in superioribus subselliis chori, quoties vacant ob absentiam Canonice, sive potius sedere semper debeant in subselliis inferioribus in casu?

S. C. C. resp.: Negative ad primam partem et affirmative ad secundam.

Die 27. Febr. 1734.

37) Prioris habentis usum Pontifical.

Prior cum usu Pontificalium, quando solemniter celebrat, contentus sit sua